



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Avgvstini Archiepiscopi Tarraconensis Dialogorum Libri Duo de emendatione Gratiani

Agustín, Antonio

Parisiis, 1672

I. De titulo libri Gratiani, & de mendis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10634



ANTONII
AUGUSTINI
ARCHIEPISCOPI
TARRACONENSIS
DE EMENDATIONE GRATIANI
dialogorum libri duo.

LIBER PRIOR.

DE TITULO LIBRI GRATIANI,
& de mendis.

Dialogus primus.



. NISI tibi molestum est, vehementer cupio à te discere quid sit quod Romæ de Gratiani emendatione tanta cura per tot annos agatur ut necesse fuerit à tribus Pontificibus, ut audio, multos amplissimos viros

A

In hoc libro
A. Ant. Augustinum
Archiepiscopum,
B. Petrum Galefium,
C. Vincentium Augustinum
Vincentij
F. significat.

ex Purpuratis suis & alios doctissimos homines hac una in re assidue versari. A. Mihi quidem nihil molestiae adferes cum a me aliquid postulaveris quod tibi fore gratum existimem, ea praesertim de re quae studiis tuis sit oportuna. Cave enim putes illius libri lectione, quem Gratiani Decretum falso vocant, si recte scriptum legatur, & ex suis fontibus singula capita deducta sint, quod potissimum in emendatione est, quidquam juris pontificij studiosis utilius esse, quae de re aliquid fortasse dicere possum. Quid autem Romae actum sit aut agatur, diligentius haec poterit nobis B. narrare. C. Didici ego quidem ab eodem multa quae curiosius petebam, quibus Pontificibus, quot viri peritissimi, & quotiens colligerentur, qui ex eis excelleret vel inveniendis vel discutiendis singulis quibusque quo etiam pacto quaedam privatis studiis paucorum agerentur, quaedam omnium collatione emendarentur, quot etiam libros veteres habuerint ex quibus ad veterem scripturam, quae, ut fieri solet, certior est, Gratiani librum perducerent. Hos libros esse aut ipsius Gratiani nomine conscriptos, aut eorum ex quibus Gratianus illa sumpisset, tum ex aliorum simili collectione, ut Burchardi, Ivonis, Anselmi, & aliorum id genus, tum ex ipsis, ut modo dicebas, fontibus Conciliorum, ut arbitrator, libris, & Pontificum Romanorum epistulis, & sanctorum virorum scriptis, & ex iure civili. Haec inquam & alia non pauca B.

noster. Sed à te dicebat esse quærendum quid in ipso volumine tantopere desideraretur. Sed quid est quòd dixisti falsò hunc librum Gratiani Decretum dici? An non ita dicitur ut Burchardi & Ivonis Decretum, aut librarij nos suis titulis decipiunt, aut ipsi scriptores sic scribi voluerunt, à quorum scriptura hanc etiam emanasse verisimile est? B. Antequam C. nostro respondeas, ego dicam quod ab illis selectis viris accepi, in nullo fere veteri libro Gratiani eam inscriptionem exstare, sed hanc: *Concordia discordantium canonum*. Sic etiam in melioribus editionibus Antonij Democharis & Antonij Contij vox illa *Decretum*, ut pote inepta, in multitudinis vocem mutata est. quod in librorum inscriptionibus aptius esse, vel Cicerò testis est; quippe qui noluit de officio aut de fine scribere, sed de finibus & de officiis. Itaque *Decretorum collectanea* Demochares, *Decretorum canonicorum collectanea* Contius inscripserunt. Decretorum verò collectionem esse hanc nemo negaverit, non unius decreti explanationem. Sic etiam dicimus Decretorum Doctorem, non Decreti juris pontificij consultum. C. Non equidem nego decreta Pontificum aptius dici, ut Magistratum decreta in jure civili; unde etiam Decretalium epistularum appellatio manavit, cum decerni aliquid in singulis epistulis videamus. Sed putabam Gratianum eam vocem à Burchardo & Ivone accepisse. B. Ne hoc quidem in veteribus libris affirmant inveniri. A Rectè tu

de Gratiani & Burchardi inscriptione. Neque enim in veteribus libris ea vox *Decretum* est. Gratiani quidem possum vobis multos ostendere, sed & Burchardi & Ivonis aliquot sine hac inscriptione. Et ut video, Ivoni Carnotensi magis placuit *Excerptiones* appellare, sic enim scribendum est, non *Exceptiones*. Ejus verba tam in Panormia & in *Decretorum* grandiori volumine quàm, quod caput est, in epistularum libro hæc sunt: *Excerptiones ecclesiasticarum regularum partim ex epistulis Romanorum Pontificum, partim ex gestis Conciliorum catholicorum Episcoporum, &c. in unum corpus adunare curavi.* Panormiæ titulus in veteri libro hic est: *Incipit liber sacrorum canonum.* In eodem libro nulla est præfatio, nullumque scriptoris nomen. Hildeberti quoque Cenomanensis Episcopi & postea Turonensis, qui Nannetensi Concilio non edito præfuit ab Honorio minore confirmato, qui fuit Callisti minoris successor, epistula quadragesima nona edita est, cujus initium, *Plerunque fit.* In ea epistula hæc verba leguntur: *Exceptiones Decretorum (vel potius Excerptiones) quas in unum volumen ordinare disposuimus, ad suum finem nondum perduæta sunt.* Mendosè autem hujus Hildeberti epistulis adscripta sunt illa ipsa Ivonis verba: *Excerptiones ecclesiasticarum regularum &c.* Burchardi vero libri veteres carent inscriptione. Sed in edito non *Decretum*, sed *Decretorum libri xx.* appellantur. *Collectiones Burchardi Vormaciensis.*

DIALOGUS PRIMUS. 5

sis appellat Ivo in quadam epistula. Anselmi Lucensis voluminis inscriptionem sine nomine ejusdem in tribus libris legi. Unius eorum hæc est : *Incipit authentica & compendiosa collectio regularum & sententiarum sanctorum patrum & auctorabilium Conciliorum.* Sed ut ad Gratianum redeamus , in ejus libris veteribus illa inscriptio est quam audisti : *Concordia discordantium canonum.* Similem legi Romæ in veteri libro Cresconij : *Concordia canonum , & ipsi canones.* C. Quid est quod his verbis significare voluerunt ? An putandum est canones Conciliorum ita esse inter se contrarios ut egeant concordia ? A. Quantum ego potui ex Cresconij libro elicere , concordiam vocat collectionem similium sententiarum , ut qui scripturæ sacre verba collegerunt , Concordantias Bibliæ appellarunt. quibus verbis , quod pace vestra dicere liceat , nihil excogitari potest ineptius. C. Gratianus igitur sic Concordiam dicit quasi collectionem similium canonum. Cur verò addit vocem *discordantium* , quæ sola refugit hanc interpretationem ? A. Verè tu quidem ais. Nam si inscripsisset Concordiam canonum , ut Cresconius fecit , aut Concordiam concordantium & discordantium canonum , hanc reciperet interpretationem. Nunc verò significare videtur concordiam inter discordes versari. Sed & si quis librum ipsum Gratiani consideret , sæpe videbit uti distinctionibus , non solùm in prima ejus voluminis parte , sed etiam in po-

Ivo episto. 74
vel 32. ad
Vill. Ab-
batem.

strema de pœnitentia & consecratione. In ipsis quoque quæstionibus singularum causarum apertius utrinque adfert contraria decreta & canones, quæ aliis distinctionibus allatis in concordiam reducit. Canonum autem appellatione non solum Conciliorum, ut existimas, regulas atque sententias, sed etiam aliorum librorum quibus jus pontificium constat, intelligere eum facile apparet ex ejus verbis. *Ecclesiastica*, inquit, *constitutio canonis nomine censetur. Canon Græcè, Latine regula nuncupatur. Regula dicta est quæ re-
tè ducit, &c.* quæ ex Isidoro lib. vi. etymologiarum sumpta sunt. Mox ait: *Porro canonum alij sunt decreta Pontificum, alij statuta Conciliorum.* Sic ante Gratianum Corpus canonum vel Codex canonum dicebatur is liber qui Conciliorum & Pontificum Romanorum regulas continebat. Ejus libri mentionem facit Burchardus enumerans libros ex quibus ejus collectio constat. Sed antiquiora sunt testimonia Nicolai primi & Leonis IV. apud Gratianum. Sic Ivo *Excursionibus ecclesiasticarum regularum* & Anselmus *Authentica collectio regularum sive canonum*, collectiones suas appellant; ut etiam vetus meus Panormiæ codex *Liber sacrorum canonum* dicitur. Idem dicendum est de Græcis collectionibus, quas Nomocanones vocant, nomine ex legibus & regulis efficto. Item de Apostolorum regulis à Clemente primo editis, & de aliis sanctorum virorum Dionysij & Petri Alexandria Episcoporum,

Distin. 3. in
prin. &c. &
2.
è quòd

Dist. 19. c. 1.
& dist. 20. c.
3.

& Gregorij Neocæsariensis, Athanasij Alexandrini, Basilij Cæsariensis, & Gregorij Nysseni, & alterius Gregorij Theologi, & aliorum, de quibus capite secundo sextæ synodi repetitæ in Trullo. Neque enim rectè apud Gratianum & alios eorum opuscula dicuntur confirmari, sed canones in Græco archetypo. C. Habeo ista. Ex quibus facilè intelligo, jus quoque canonicum, quod tu jus pontificium appellare soles, hinc originem duxisse. At verò Canon Missæ & Canonici seculares ac regulares cur dicti sunt? A. Diximus canonem regulam significare, Missæ igitur regula vel formula vetus est ille ipse Missæ Canon. Canonicos verò regulares qui dicunt, eandem rem bis dicunt; ut cùm Abba pater vocatur, vel Thomas Didymus, sive Geminus, atque alia simili ratione. Sed fingamus duas esse regulas, alteram laxiorem Canonicis secularibus scriptam, alteram durioribus regularibus solis conditam. Utroque sub canone esse dicemus & Canonicos, sed hos durioribus cancellis circumscriptos. C. Hæc placent. Sed quid aliud est in Gratiani libro mutandum præter titulum libri sive inscriptionem? A. Ita multa sunt ut non facilè omnia uno die explicari possint. Sed genera tibi errorum quorundam proponam, ut postea de quibus magis placebit agamus. Sæpe erratum esse video in nominibus hominum, urbium, provinciarum, conciliorum, & aliarum rerum quæ postea exemplis apertiora fient. Sæpe falsæ sunt

*Dist. 16. c. 7.
quoniam.*

§ LIBRI PRIORIS
inſcriptiones, & quæ Conciliorum ſunt, Pon-
tificum maximorum eſſe dicuntur; & quæ
ſunt unius Epifcopi inferioris, Romano Pon-
tifici aut Concilio generali vel provinciali
tribuuntur. Ex hoc genere ſunt illa quæ ex
Concilio Martini Papæ aut Hadriani Papæ
ſumpta eſſe feruntur, quæ vel Martino Bra-
carenſi & Græcis Conciliis vel Engelramo
Epifcopo vel Hadriano ad Engelramum in-
ſcribi debuerunt. Multa Gregorij, Ambro-
ſij, Auguſtini, vel Hieronymi verba eſſe di-
cuntur, quæ aut nuſquam exſtant, aut alie-
na ſunt. Illa quoque ipſa quæ inſcriptiones
habent veras, non recte referuntur. Sæpe
enim contrarias ſententias referri ſcimus, ſæ-
pe valde præciſas. Jam verò quæ ex Græ-
cis fontibus manant, ex variis interpretatio-
nibus afferuntur, quaſi ſint aliorum ſcripto-
rum; ac ſæpe aliud Græcè quàm Latinè ſi-
gnificant. C. Tu verò me in ſilvam quan-
dam errorum inducis, cujus nullum exitum
video. Sed malo ut de primis quibuſque à
re dictis agas, ut præciſis his ramis interiora
illuſtiora fiant. A. Quid autem B. noſtro
placet? B. Ego verò hæc ipſa quæ proponis
exſpecto; ſed non is ſum qui operæpretium
eſſe exiſtimem tam multa de ſolo Gratiano
dici. Hic enim, ut noſti, & ut facilè omnes
concedunt, compilerator inſignis, nihil ferè
habet valde utile quod proprium dicere poſ-
ſis; ſed corniculæ illi ſimilis, ut eſt in fabu-
lis, riſum ſcientibus admirationem ignoran-
tibus movet. Si verba conſideres, nihil illo

tritius ; si artem requiras & ordinem docendi , frustra laborabis . Ita multa refert alieno loco ponenda , ita pro certis incerta constituit , ut malis illa eadem in ipsis libris non solum Conciliorum , sed etiam Burchardi & Ivonis & aliorum Collectorum requirere . Itaque dum tu quid apud Gratianum mutandum sit dices , in veteri me confirmabis opinione , qui frustra hunc scriptorem mendis purgari putem . Te verò potiùs hortari & , si pateris , monere non desinam ut in eam tantum rem incumbas , ut meliorem harum regularum sive decretorum collectionem edas .

A. Ludis tu quidem , ut soles , perurbanè , & mihi videris pro tua præclara dicendi facultate magnas res contemnere & pro nihilo ducere , minores verò in cælum tollere atque augere dicendo . Nam ut dem tibi nihil ferè , aut pauca de suo Gratianum attulisse , quod falsum est , adfert enim multa quæ in aliis collectionibus non invenies , qualia sunt quæ post Burchardum & Ivonem sunt nata , item multarum difficultatum solutiones . Sed quamvis nulla attulerit , felicior tamen ceteris collectoribus fuisse negare non poteris , quos in tenebris diù fuisse novimus dum hic in omnium manibus versatur ; multorum interpretum illustratur lucubrationibus refertur denique in judiciis omnibus , atque à Theologis non minùs quàm à juris utriusque peritis in pretio habetur . Quòd si in illo verborum elegantiam desideras , temporis est , non hominis culpa . Tritis utitur verbis , ut

omnibus prodesse possit. Artem & ordinem docendi flagitas. Quasi verò meliore ceteri sint usi. Quòd verò postremò hortaris ut collectionem aliquam edam potiùs quàm hanc ita perturbatam & imperfectam ornem, facis tu quidem ludos, ut dixi. sed hac de re posteriùs cogitabimus. Nunc quando utrique vestrum non displicet ut de Gratiani erratis agamus, in crastinum diem differo quod sum pollicitus. Alia enim urgent his potiora.

ADDITIONES.

HIs scriptis, editum vidi Romæ Gratiani volumen hac inscriptione: *Decretum Gratiani emendatum, Gregorij XIII. Pont. Max. jussu editum.* Et initio distinctionis primæ: *Concordia discordantium canonum.* Et in admonitione ad lectorem ita scribitur: *In plerisque vetustis hujus collectionis exemplaribus hac tamquam inscriptio rubris literis posita est; Concordia discordantium canonum, addita in quibusdam dictione Incipit, sine ulla Gratiani mentione. Verùm in Vaticano illo vetustissimo, cui voluminis ipsius initio recentiori scriptura paleas esse præpositas dictum est, ante ipsas paleas est hic titulus: Decretum Gratiani monachi sancti Felicis Bononiensis, ordinis sancti Benedicti, compilatum in dicto monasterio anno Domini millesimo centesimo quinquagesimo primo, tempore Eugenij Papæ tertij. In aliis verò duobus codicibus, in extremo est: Explicit decretum compilatum à Gratiano monacho monasterij [sancti Felicis de Bononia.] In eadem admonitione hæc etiam verba leguntur: Novissimus istorum omnium, præter auctorem Panormie, nam is recentior fortasse est, Gratianus monachus Benedictinus non tantum decretis colligendis, quod superiores fecerant, operam dedit, sed Ivonis fortasse præfatione ex-*

DIALOGUS SECUNDUS. II

citatus, eò potissimum incubuit ut certis questionibus propositis, quod in utramque partem ex canonibus qui inter se nonnumquam pugnare videbantur dici posset, ipse & afferret & explicaret, omninoque eorum varietatem, qua speciem dissensionis habebat, ad concordiam revocaret. Hæc in Romano.

In editione Gregoriana cap. 7. *Quoniam*. dist. 16. multa mutata sunt & Notis ornata. Et quamvis dicatur *Et opuscula Theophili &c.* tamen in Notis Ivo nis verba relata sunt: *Confirmamus sanctorum patrum canones & synodos &c.* & Græca verba canonis referuntur, & Latina interpretis, quibus apparet non opuscula sed canones appellari. Quod etiam verba à Gratiano relata indicant: *Confirmamus & ceteros sanctorum canones & synodos.*

Ivo par. 4.
cap. 106. &
134. decr. &
lib. 2. tit. 11.
c. 29. pan.

DE GRATIANI ERRATIS IN propriis nominibus.

Dialogus secundus.

B. ET tempus & locus aptus est ut te promissi tui admoneamus. Quid enim hac hortorum amœnitate jucundius? Avidas autem aures adferimus ego & C. noster. A. Video nihil diutius vobis posse deberi. Sed libris aliquot nobis opus est, & in primis Gratiano editionis ejus quæ habeat duorum Antoniorum notas. C. Eum librum mecum attuli, quòd eum potissimum à te laudari sciebam, & ut viderem quid tu de singulis erratis esses dicturus, & ut meliùs id memoriæ mandarem. A. Laudo providentiam tuam. Ego quoque in adversariis quibusdam, quæ attuli, scripseram ordine litterarum aliquot